

6º Quod spectat autem ad censuram Indicis, hæc leguntur in fine regulæ x, excerpta ex bulla Pii IV, quæ incipit *Dominici gregis* : *Si quis libros hæreticos vel cujusvis auctoris scripta, ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit sive habuerit, statim excommunicationis sententiam incurrat.*

Ex his patet plerasque conditiones bullæ *In Cœna Domini* ab Indice requiri. Quædam tamen sunt differentiae : sic 1º regula Indicis non memorat tantum *libros*, sed etiam *scripta*, quod videtur comprehendere folia libri errantia, concionem, epistolam, etc. 2º Non tantum attingit scripta hæreticorum, ut bulla *Cœnæ*, sed cujusvis auctoris, modo scriptum fuerit damnatum ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem, proindeque ejus qui tantum ante vel post scripti compositionem fuit hæreticus, et etiam catholici opus cui hæreticus scholia vel notas annexuisset.

Quoties igitur liber prohibitus versatur in conditionibus bullæ *Cœnæ* statutis, incurrit excommunicatio summo Pontifici reservata : ubi vero aliqua ex his conditionibus deest, sed reperiuntur conditiones quas regula Indicis citata exigit, datur excommunicatio, sed non reservata. Demum si qua ex his posterioribus desit, est culpa sine censura.

7º Duo supersunt notanda, nempe 1º qui linguam in qua scriptus est liber ignorat, censuram non incurrit, nec ordinarie peccat, librum legendu vel percurrente, quia talis actio non est vera lectio, nisi materialis tantum. Verum parvi refert an qui legit, voce pronuntiet vel tacitus librum prohibitum oculis percurrat, modo quod videt intelligat. Sic *Ferraris*, n. 39 et 40, dicens hanc sententiam esse communem. 2º Ut communius et probabilius tradit *S. Ligori* eum qui alterum audit librum prohibitum legentem censuram non incurrere, modo illum non induxit ad legendum, quia re ipsa non reputatur legere. Imo alii non pauci eum excusant qui alium induxit ad legendum, propter eamdem rationem. Hæc tamen sententia non est tuta.

8º Licentiæ legendi aut retinendi libros prohibitos

nunc concedi non possunt, nisi a summo Pontifice, vel a sacra Congr. S. Officii, aut specialiter ab ipsis deputatis : sic expresse statuit Urbanus VIII, 2 aprilis 1631, revocans et annullans quascumque licentias a prædecessoribus suis concessas quibusvis personis. Unde ipsimet episcopi et cardinales prædictos legere non possunt libros, nisi habeant licentiam scripto sibi datam. Arbitratur tamen *S. Ligori* episcopum in casu magnæ necessitatis hanc licentiam concedere posse ; imo, et, ex justa epieikeia, excusari posse virum doctum qui, urgente necessitate, proprio motu legit librum prohibitum, puta, quia tali indiget lectione ut adversarios statim refellat, nec ad Papam, nec ad proprium episcopum recurrere potest. S. Congr. Indicis nunc concedere potest licentiam quosdam libros prohibitos legendi, et magister Sacri Palatii pro urbe Roma et ejus districtu.

9º Non solum legentes, sed retinentes, vendentes, imprimentes libros prohibitos, eos ab uno loco in alium asportantes, in bulla continentur et censuram incurront. In librorum aliarumve scripturarum impressione quædam servandæ sunt regulæ in concilio Lateranensi V, sess. 10, traditæ, quæ spectant ad auctores, typographos et bibliopolas, tum Romæ, tum alibi degentes ; in primis statuitur ut nullus imprimatur liber sine approbatione superioris ecclesiastici scripto data in forma authentica, et id quidem sub pena confiscationis librorum et excommunicationis ipso facto incurrandæ. Plures hac de re casus reperiri possunt soluti apud *Ferraris*, n. 44 et seq. Vidè in totam hanc materiam *P. Antoine*, nova edit. in-8º, t. II, p. 314 et seq.

10º Advertendum libros a Sancta Sede prohibitos, in quacumque linguam vertantur, censeri ab eadem Sede ubique gentium sub eisdem poenis interdictos et damnatos. Sic statuit Clemens VIII, in Instructione pro iis qui libris prohibendis aut expurgandis operam daturi sunt, § 6, in capite Indicis anni 1825.

11º Insuper *Bened. XIV*, in Constitutione *Sollicita*, § 22, instructionem Clementis VIII invocans, et § 23,

auctoritatem Innocentii XI proferens, maxime commendat ut catholici auctores caute abstineant ab iis quæ famæ proximorum et præsertim ecclesiasticorum ac principum detrahunt, a facetiis aut dicteriis in præjudicium existimationis aliorum jactatis, *a quibuscumque conviciis contra eas propositiones quæ adhuc inter catholicos controvertuntur, donec a Sancta Sede recognite sint;* ac proinde iis non assimilentur de quibus ait *S. Aug.*, Conf. l. 12, cap. 25, n. 34: *Amant suam sententiam, non quia vera est, sed quia sua est,* et aliorum opinones non modo improbant, sed illiberaliter notant et traducunt.

De prohibitione librorum in Gallia.

1º Bulla *In Cœna Domini* et regulæ generales Indicis ejusque decreta vim legis non habent in foro externo, non solum in Gallia, sed etiam in multis aliis regionibus. 2º Quoad forum internum, duplex est sententia: alii tenent hujusmodi librorum prohibitiones non obligare in Gallia, nisi hæresis in hisce libris doceatur vel defendatur ex professo; alii autem communius et in praxi tutius docent quorumvis librorum prohibitiones universos obligare fideles. Nulli enim catholico dubium esse potest leges ecclesiasticas promulgandi modum a voluntate legislatoris pendere, ipsiusque esse suo consensu ratas habere consuetudines locales legibus suis oppositas. Videantur quæ exposuimus, t. iv, p. 578.

Nec ignorari debet propositio 45 ab Alexandre VII damnata, die 18 martii 1665: *Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrificantur.* Curs. compl. t. vi, col. 699.

Boni catholici et quicumque saluti suæ consulere volunt, a lectione hujusmodi librorum caute abstinere debent, tum propter reverentiam Ecclesiæ et summo Pontifici debitam, tum propter periculum perversiorum.

2º Nemo ignorare debet vigere in Gallia, patentibus omnibus, Const. *Ad sanctam Alexandri VII*, 1657, qua sub poena excommunicationis prohibentur *Augustinus Jansenii*, atque omnes libri præsentes et futuri quinque

damnatas propositiones defendantes, inter quas sunt *les Provinciales de Pascal* et nonnullæ editiones *de ses Pensées*, etc.; Const. *Unigenitus* Clementis XI sub eadem poena, prohibentis legere, transcribere, retinere librum *Quesnel* et quælibet scripta illum defendantia; Breve Innocentii XII condemnantis librum cui titulus: *Explanation des Maximes des Saints*, sub poena excommunicationis ipso facto incurriendæ: prohibetur hujus libri lectio et retentio; de aliis autem libris ad illum defendantum scriptis nihil dicitur.

Encyclica autem sua VII calendas julias 1834, Gregorius XVI librum dictum *Paroles d'un Croyant* reprobavit ac damnayit, sed nullas expressit censuras.

3º Procul dubio jus habent episcopi libros perniciosos in sua diocesi prohibendi et censuras contra temerarios lectores decernendi: hoc quippe essentialiter pertinet ad munus quod habent jure divino populum sibi commissum sana doctrina pascendi. Hinc illimitata scribendi ac scripta publicandi libertas admitti non potest eo sensu quod Ecclesiæ pastores jus non habeant censuram exercendi, ut fortiter affirmat Greg. XVI, in sua Epistola encyclica diei 15 augusti 1832. Sæpe privati homines infauste libros suo examini subjicerent; sed Ecclesia, quæ est columnæ et firmamentum veritatis, eos merito judicat, approbat, vel prohibet.

4º In Statutis diocesanis nostris sic habetur: «Qui sine nostra speciali licentia legunt libros in quibus hæresis vel impietas ex professo, id est scopo auctoris, docetur vel defenditur, excommunicationem majorem ipso facto incurront.»

5º Libri prohibiti legi non possunt sine competenti licentia. Licentia autem eos legendi importat licentiam eosdem retinendi.

De disputatione cum hæreticis.

1º Alexander IV, in Sexto, l. 5, tit. 2, cap. 2, ait: «Inhibemus ne cuiquam laicæ personæ liceat publice vel privatim de fide catholica disputare. Qui vero contra

» fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. » Quilibet ergo laici, sive docti, sive indocti, sub pena excommunicationis ferendae sententiae, a disputatione cum haereticis vel cum infidelibus prohibentur; nulla enim admittitur distinctio. Excipiunt tamen theologi casum necessitatis in qua laicus doctus, deficiente clero capaci, fidem a dictariis haereticis vel increduli vindicare potest, imo et debet, ut ait P. Antoine, ob proximi salutem et fidei honorem. Idem P. Antoine, t. II, et Ferraris, v^o Fides, 40, dicunt hanc prohibitionem per contrariam consuetudinem abrogatam esse in regionibus in quibus catholici cum haereticis commiscentur. In praesenti opinionum statu, saepe necessarium aut saltem utile est ut, inter nos, ipsi laici errores et impietas incredulorum dictis refellant, et qui hoc perire praestant, a nemine reprehenduntur tanquam juri canonico adversi.

2^o Disputare cum haereticis non est prohibitum clericis jure ecclesiastico, nec etiam jure naturali, si sufficienter sint docti, et debitae prudenter observent circumstantias audientium, loci et temporis, ut honor veritatis periculo non temere exponatur, quod sedulo cavendum est; et ideo ipsi sacerdotes, « nisi sint valde periti, ex » consilio debent se abstinere, excusando se bonis ver- » bis et praetextibus : » sunt verba decreti S. Cong. de Propaganda Fide, diei 26 febr. 1630.

3^o Eadem sacra Congr., die 8 martii 1625, jam juss erat « publicas disputationes non fieri cum haereticis, quia » plerumque, vel ob loquacitatem vel audaciam aut cir- » cumstantias populi acclamantis, veritas, falsitate prae- » valente, opprimitur; et si aliquando hujusmodi dispu- » tationes recusari non possint, primum de illis certior » fiat sacra Congr., quae, juxta temporis et personarum » qualitatem, quid agendum sit praescribet. »

4^o Stricte prohibitum fuit missionaris ne, absque Romani pontificis licentia, conventum indicent ecclesiasticum, in quo cum haereticis de religione disputatione. Si autem sanctissimus Pontifex hanc concedendam esse licentiam arbitretur, quasdam apponet conditiones, a

quibus recedendum non erit, v. g., 1^o ut haeretici non tanquam judices et cum jure suffragii convenient; 2^o ut fidei dogmata non definiantur, sed ut revelata et definita ostendantur; 3^o ne disputatione locum habeat coram plebe, sed coram doctis; 4^o ut laici etiam principes non sedeant velut judices; 5^o ut prelati a principe seculari ad conventum non cogantur, sed tantum invitentur.

Punctum tertium. — *De apostasia.*

Apostasia a verbis graecis ἀπόστασις, post, et ῥιπήμα, sto, defectionem aut recessum significat.

Triplex distinguitur, videlicet apostasia a fide, apostasia a statu religioso, et apostasia ab Ordine sacro.

Apostasia a fide est totalis a fide christiana per baptismum suscepta recessus: in eo tantum differt ab haeresi, quod haeticus non rejicit Christum, sed unam vel plures veritates a Christo revelatas, dum apostata, Christum penitus deserens, fit judaeus, mahometanus, paganus, vel religionem christianam ex animo rejicit per aliquid perfidiæ hujus signum externum. Apostasia igitur pejor est haeresi et iisdem omnino subjicitur poenis. Qui vero religionis christianæ officia negligit, non intendens eam per signum aliquod externum abjurare, aut ritui infidelium adhaerere, malus est Christianus, sed non apostata, nec poenis in haereticos latis obstringitur.

Apostasia a statu religioso in eo constituit ut quis in ordine regulari professus, a religione culpabiliter abscedat cum animo ad institutum regulare non redeundi, sive habitum exuerit, sive illum retineat. Qui cum licentia superioris discederet, vel haberet animum redeundi, vel ad aliud institutum regulare etiam laxioris observantiæ transeundi, proprie non esset apostata, sed ad summum fugitivus, cum vita regularis substantiam servare intenderet.

Poenæ quibus subjacent apostatae a statu religioso sunt: 1^o excommunicatione major latæ sententiae, si habitum deseruerint; secus, si habitum retinuerint, ut ostendit Ferraris, v^o *Apostasia*, n. 49; 2^o suspensio ab ordinibus durante

apostasia susceptis; 3º privatio privilegiorum religioni annexorum, vocis activæ et passivæ, etc.

Apostasia ab Ordine sacro locum habet cum quis clericatus omnino renuntiat, ut vitam laicalem ducat, et, eo animo, id omne quo vir dignoseitur ecclesiasticus abjicit, vel se tradit professioni a statu clericali omnino alienæ, v. g., militiæ, aut matrimonium contrahit. Supponitur quod sacris Ordinibus sit initiatus, cum simplex clericus et acolythus statum clericalem et ejus insignia licite deserere possint.

Poenæ autem contra hujusmodi apostatas sunt: 1º excommunicatio latæ sententiæ, si clericus matrimonium contraxerit, et ferendæ sententiæ, si a conjugio ineundo abstinuerit; 2º infamia; 3º irregularitas, si matrimonium fuerit contractum; 4º amissio privilegii clericalis. Vide *Ferraris*, n. 63 et seq.

In nostra dioecesi, quicumque fiunt apostatae a fide, ab Ordine vel a statu religioso, excommunicationem episcopo reservatam ipso facto incurront, ex Statutis dicæsanis, p. 114.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SPE.

Spes est virtus qua cum certa fiducia futuram beatitudinem et media illius assequendæ exspectamus per Dei auxilium.

1º Objectum primarium seu materia primaria spei est ipse Deus in cœlo possidens, ut ait *S. Th.* 3 part., q. 4: « Spes, inquantum est virtus theologica, habet pro objecto ipsum Deum, cuius fruitionem homo principaliter exspectat per virtutem spei. » Objectum vero secundarium seu materia secundaria sunt quævis bona et auxilia ad possessionem Dei conducentia: qui enim vult efficaciter finem, vult eo ipso media ad illum obtinendum necessaria.

2º Motivum spei seu objectum ejus formale est Deus quatenus nobis bonus et auxiliator: nam motivum ali-

cujus virtutis est ratio propter quam actus illius proprii eliciuntur: porro ratio propter quam speramus in Deum, id est, Deum possidendum desideramus et simul exspectamus, coalescit tum ex bonitate Dei relativa, tum ex virtute ejus auxiliatrice. Unde spes est virtus a fide et charitate distincta; actus enim fidei est credere, actus spei cum fiducia desiderare, et actus charitatis diligere. Objectum formale fidei est Deus ut verax, objectum formale spei est Deus ut nobis bonus et auxiliator, et objectum formale charitatis est Deus ut in se bonus et perfectus. Igitur ad spem refertur amor concupiscentiæ, et charitas est amor amicitiæ.

3º Spes non remanet in damnatis, quia *mortuo homine impio, nulla erit ultra spes*, Prov. xi, 7; nec in beatis in cœlo regnantibus, quia Deo jam plene fruentes, illum sperare nequeunt; verum superest in animabus in purgatorio degentibus, quæ Deo nondum fruuntur, sed illum fiducialiter exspectant, et bene subsistere potest in Christianis peccato mortali commaculatis, qui procul dubio sperare possunt et debent se poenitentes veniam obtenturos et possessionis Dei in cœlo futuros esse participes.

4º Spes omnino certa est ex parte Dei, quia impossibile est Deum mentiri promittendo, aut adimpletis conditionibus promissa non esse servaturum; sed non ita certa est ex parte nostri, quia *nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta*, Eccle. ix, 1 et 2, et unusquisque timere debet ne cadat, ne a perseverantia desistat, et satagere ut per opera sua bona certam suam vocationem et electionem faciat, juxta B. Petri præceptum, II Petr. i, 10.

5º Hæc autem virtus necessaria est necessitate medii peccatoribus adultis, ut justificationem obtineant. Suam enim reconciliationem cum Deo obtainere non possunt nisi eam velint, desiderent, ac proinde sperent *Deum sibi propter Christum propitium fore*, Concil. Trident., sess. 6, cap. 4. Actus spei necessarius est necessitate præcepti omnibus adultis, sive peccatoribus, sive justis; nihil enim frequentius commendatur in Scriptura, nihil fidei et ra-

tioni est congruentius. Præceptum autem illud obligat per se; 1º in initio usus rationis; 2º in periculo mortis; 3º dum urget contra spem tentatio quæ non nisi per actum spei videtur superanda; 4º sæpius in decursu viæ. Quamvis in assignando tempore quo urgeat non sibi consentiant theologi, certum est eos qui christiane vivunt præceptum illud sufficienter implere, præsertim dum Symbolum Apostolorum et Orationem Dominicam attente recitant.

Præceptum istud sæpe etiam obligat per accidens, fere sicut dictum est ubi de præcepto fidei, de quo etiam solliciti esse non debent solide christiani.

196º Circa virtutem spei errarunt Quietistæ, a voce *quies* sic dicti, quia quamdam animæ quietem continuam in contemplatione, vel in puro amore reperiri docuerunt et summopere prædicaverunt, licet non omnes eodem modo nec eodem gradu.

Primus igitur ejus erroris gradus, magis a veritate alienus et suis consecariis noxius, tenet perfectionem hominis sitam esse in actu continuo contemplationis et amoris, qui eum eximit ab obligatione cuiusvis actus virtutum distinctarum, eamque ad absolutam requiem redigit. Anima in ista requie constituta, in seipsam non reflectit, omnes proprias operationes abjicit, totam se Deo dimitiens sicut corpus sine spiritu; non cogitat de præmio, nec de punitione, nec de morte, nec de æternitate; nullo modo desiderat virtutes, nec sanctificationem, nec ipsam salutem; non curat de confessione, nec de aliis quibusvis operibus externis, quæ ipsi inutilia aut nociva evadunt; temptationibus positive resistere non debet, quia homo non tenetur de suis imaginationibus, nec etiam de actionibus, quamdui actus contemplationis et amoris semel productus, non fuit positive revocatus. Auctor incredibilis hujus doctrinæ fuit *Michael Molinos*, presbyter Hispanus, anno 1627 natus, qui Romam se contulit, et ibi ut insignis conscientiarum director habitus est. Anno 1675 in lucem edidit librum sub titulo in linguam nostram converso: *La Guide spirituelle*, in quo reperiuntur

tur extraordinaria vitæ mysticæ principia superius relata. Per decretum 28 august. 1697, Romana inquisitio 68 propositiones ex dicto libro depromptas damnavit, et 19 nov. ejusdem anni, Innocentius XI, decretum Inquisitionis confirmans, easdem 68 propositiones damnavit in globo, per bullam *Cœlestis Pastor*.

Secundus *Quietismi* gradus ille est qui processit a *Joanna Bowier de la Motte*, vidua D. *Guyon*, quæ opera ascetica de vita interiori publica faciebat et vias spirituales inauditas docebat. Abominanda doctrinæ *Molinos* consecaria a nobis indicata repellebat, sed fundamentele ejus principium mitioribus verbis admittens, dicebat actum continuum contemplationis et amoris omnes virtutum actus in se continere, et semel productum, per se subsistere, nisi expresse revocetur. Hinc concludere videbatur animam in hoc perfectionis statu constitutam, ad actus virtutum explicitos non teneri; imo teneri se indifferentem præstare quoad omnia etiam externa.

In tertio ordine *Quietistarum* occurrit illustrissimus *Fénelon*, Archiep. Camerac., qui actum continuum contemplationis et amoris expresse damnans, volebat tamen perfectionem hominis sitam esse in *statu habituali* puri amoris, in quo neque remunerationis desiderium, neque punitionis metus ullam habent partem. Principium hoc cum variis ejus consecariis docuit in libro cui titulus: *Explication des maximes des Saints*, qui ab Innocentio XII, per Litteras Apostolicas in forma Brevis 12 martii 1699, damnatus est cum 23 propositionibus ex illo excerptis. (*Oeuvres de Fénelon*, t. IV, p. cxiii et suiv.)

7º Omnino tenendum est in hac præsenti vita non dari statum amoris ita perfecti, ut mens nec metu pœnarum, nec desiderio remunerationis unquam moveatur, et multo minus in quo periculosum sit vel imperfectum elicere actus spei et virtutum quæ ad utilitatem nostram sint relativæ. Hoc facile probari posset ex Scriptura, ex SS. Patribus et ex ratione. 1º Ex Scriptura: *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus*, Matth. vi, 33; *Inclinavi cor meum ad facientes justifications tuas in æternum*, propter

retributionem, Ps. cxviii, 112; *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*, Heb. xiii, 14, etc., 2º *Ex SS. Patribus. S. Ambrosius*, libro 5 in Lucam, capite 1: «*Studia virtutum sine remuneratione tepescunt.*» *S. Aug. Serm. 345*: «*O tu homo, si titubas in re, esto firmus in spe: si autem te opus turbat, erigat ipsa merces.*» 3º *Ex ratione*. Si enim amor perfectionis exigit ut circa salutem nostram simus indifferentes, et a fortiori, circa salutem aliorum: ergo insipienter egerunt tot sancti qui tanta fecerunt ut, per poenitentiam, mortificationem et omnes virtutes christianas, mererentur cœlum quod in proposito semper habebant: ergo similiter insulse egerunt tot viri apostolici qui omnia sustulerunt ut fratrum suorum salutem procurarent, quod certe admitti non potest. Nemo non videt quod hujusmodi consecatoria nec non et alia similia totam religionem subvertant et ideo minime admitti queunt.

8º Contra spem theologicam peccari potest, 1º per *omissionem*, ubi videlicet, urgente præcepto spei affirmativo, ut supra explicatum est, actus spei non elicetur; 2º per *commissionem*, quod præsertim duplici modo fieri potest, nempe per excessum et per defectum, seu per *præsumptionem* et per *desperationem*.

Præsumptio est temeraria exspectatio beatitudinis æternæ aut mediorum ad illam assequendam. Alia autem cum hæresi conjuncta est, v. g., si quis per solas naturæ vires salutem speret, sicut Pelagiani; vel per solam fidem sine operibus, ut Lutherani: alia ab infidelitate est immunis, ut si quis speret se fore salvandum per sanctorum intercessionem, aut per quoddam genus orationis, licet cupiditatibus suis indulget; vel si, auxilio misericordiæ divinæ innixus, poenitentiam in fine vita sibi promittat, interea volens iniqua agere, aut conversionem magis ac magis differre, contra oraculum Spiritus sancti dicentis, Eccli. v, 8: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius.* *Præsumptio* infidelitati conjuncta virtutem spei destruit: ab infidelitate immunis, juxta plerosque hanc virtutem

non destruit, quia tunc in eo stat inordinatio quod recti motivi malus fiat usus.

Desperatio est diffidentia beatitudinem vel media ad eam conduceat assequendi: hæc etiam cum infidelitate conjungi potest, ut si quis judicet dari peccata irremissibilia, dicens cum Cain: *Major est mea iniquitas, quam ut veniam merear*, Gen. iv, 13; vel ab infidelitate est immunis, ut communius evenit, v. g., si quis putet se adeo peccatis involvi vel temptationibus impugnari, ut non nisi difficillime evadere possit, atque ideo animo deficiens, opera christiana abjiciat, se interficiat, ut Judas, etc. In priori casu virtus spei destruitur: in posteriori probabilius etiam destruitur, modo præbeatur consensus sufficiens ad peccandum mortaliter. An autem dari possit letitas materiae, non constat.

Non tamen ut rei desperationis æstimandi sunt timidiors conscientiae homines qui turbulentis animi motibus exagitati, diffidentiae a Deo se accusant; attendendum est enim utrum, sine alia causa legitima, consueta pietatis officia neglexerint, nec ne: si prius, judicandi sunt plus minusve consensisse temptationi, proindeque plus minusve r-ei juxta negligentiae gradum; si posterius, rationabiliter judicatur eos non consensisse, aut ad summum imperfectum fuisse eorum consensum.

9º Qui ita paratus est ut præferret in præsenti vita semper degere, si posset, et cœlum Deo relinquere, mortaliter peccat, quia revera spem non habet.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CHARITATE.

Vox *charitas* multiplico sensu accipi potest, nempe pro dilectione etiam mala, qualis est amor meretricis; pro dilectione bona in ordine naturali, ut amor propriæ uxoris; pro amore Dei erga homines; pro amore nostro erga Deum: qui amor potest esse naturalis, vel supernaturalis, habitualis vel actualis; concupiscentiæ, si

Deum ut nobis bonum diligamus; vel benevolentia, si illum ut in se bonum et perfectum amemus. De charitate hoc ultimo sensu accepta nobis agendum est.

Charitas autem proprie dicta est virtus theologica divinitus infusa, qua Deum propter se, nos vero et proximum propter Deum, super omnia diligimus. Dicitur 1^o *virtus theologica*, quia habet Deum pro objecto immediato; 2^o *divinitus infusa*, quia vires naturae superat, et effectus est Spiritus sancti, juxta haec Apostoli verba, Rom. v, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*; 3^o *qua Deum propter se*, et in eo differt a virtute spei qua Deus propter nos amatur et desideratur; 4^o *nos vero et proximum*, etc.; qui enim sincere amat Deum propter se, amat ea que ad ipsum pertinent: porro nos et proximus ad Deum pertinemus: Deum igitur perfecte diligere non possumus, quin eo ipso et nos et proximum propter ipsum diligamus; 5^o *super omnia*, quod dupli modo fieri potest, scilicet *appreciativa*, si Deus super omnia bona aestimet; et *intensive*, si actus amoris erga Deum vehementior sit quolibet alio affectu. Amor appreciativus Dei propter se veram constituit charitatem.

Duplex igitur est objectum charitatis: Deus, qui est objectum primarium; et proximus, qui est objectum secundarium. Itaque dicemus 1^o de charitate erga Deum, 2^o de charitate erga proximum, et 3^o de vitiis charitati oppositis. Quidquid ad nos respicit ex dicendis sufficienter intelligetur.

§ I. — De charitate erga Deum.

Dicemus 1^o de ipsius natura, et 2^o de ejus præcepto.

Punctum primum. — *De natura charitatis erga Deum.*

Patet, ex notatis, veram charitatem esse amorem Dei perfectum, in eo situm ut Deum diligamus quia est amabilis, propter ipsius perfectiones, prout lumine supernaturali innotescunt. Non tamen necesse est ut bea-

titudinem nostram excludamus, vel ab illa abstrahamus. Deus enim optime spectari potest ut in se bonus, et simul ut solus nos beatificare valens: tunc adest simul motivum specificum charitatis, videlicet bonitas Dei in se spectata, et motivum spei, seu amoris concupiscentiae, id est, beatitudo nostra in Deo posse.

Compatibilitas utriusque motivi in eodem amore a nemine negatur: at Quietistæ contendebant amorem charitatis non fieri perfectum nisi per totalem amoris spei exclusionem; quod fuit condemnatum, ut supra diximus. Bossuet, in sua disceptatione cum Fénélon, dixerat amorem ex puro motivo charitatis, sine respectu ad possessionem Dei, impossibilem esse, quia homo propriam felicitatem in cunctis actibus suis necessario querit; sed in hoc ab omnibus desertus est, seipsum reformavit, et doctrina *puri amoris*, quam tuebatur Fénélon, generaliter fuit admissa, sive in Gallia, sive Romæ, etiam ab iis qui librum ejus damnaverunt. Vide *Œuvres de Fénélon* variis in locis, et præsertim *Analyse de la controverse du Quiétisme*, t. IV, 3 part., p. CLXXIV.

Ille amor vera et proprie dicta est amicitia inter Deum et hominem; nam ad constituendam veram amicitiam tres requiruntur conditions, nempe 1^o benevolentia amantis, qui amat non propter semetipsum, sed propter qualitates amati: unde ridicule diceretur quod quis veram habeat amicitiam ad vinum vel ad equum quem ob proprium coramodum vel oblectamentum habet; 2^o ut sit mutuus; proprium est enim veræ amicitiae ut corda uniantur ac mutuos experiantur affectus, et illa reciprocitas est vinculum unionis; 3^o inde sequitur quamdam communicationem inter eos existere debere; aliter enim vera amicitia concipi non potest. Porro tres illæ conditions in vera charitate reperiuntur: 1^o amor benevolentiae, siquidem, ut diximus, Deus non diligit ut nobis bonus, sed quia bonus et perfectus est in se; 2^o amor mutuus: *Qui diligit me, inquit Christus, Joan. xiv, 21, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum;* 3^o quædam communicatio; homo enim Deum diligendo,

se totaliter dat ei, et Deus, per suam gratiam ac beatitudinis æternæ promissionem, sanctam et sublimem cum homine instituit societatem, juxta hæc Apostoli verba, I Cor. 1, 9 : *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus, Jesu Christi Domini nostri.* Ergo charitas perfecta vera est amicitia inter Deum et hominem. Unde Jacob. II, 23 : *Abraham amicus Dei appellatus est ; Psalmista, Ps. cxxxviii, 17 : Nimis honorificati sunt amici tui, Deus ; et Christus ad discipulos, Joann. xv, 14 : Vos amici mei estis..... jam non dicam vos servos..... vos autem dixi amicos.*

Hinc facile intelligitur charitatem esse omnium virtutum excellentissimam, 1º quia Deum attingit modo perfectissimo, et merito B. Paulus dicit, I Cor. XII, 12 : *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc : major autem horum est charitas ; et Colossens. III, 14 : Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis ; 2º quia fides et spes compatiuntur peccatum, non vero charitas ; impossibile est enim veram existere amicitiam inter Deum et hominem qui illum offendit, nisi peccati veniam obtinuerit ; aliunde probavimus in Tractatu de Pænitentia contritionem charitate perfectam semper justificare ; 3º quia charitas est forma aliarum virtutum, non quidem essentialis seu intrinseca, quasi sine ea non essent, quod fuit error Jansenii ; sed extrinseca, eo sensu quod absque charitate cæteræ virtutes sint mortuæ et ad salutem nos conducere non possint ; 4º quia a justificatione est inseparabilis, non autem aliæ virtutes.*

Optimæ hujus virtutis habitus augeri potest sine termino, ut concil. gen. Viennense, Clement. I. 4, tit. 3, definivit adversus Beguardos et Beguinias, qui contendebant hominem in præsenti vita talem perfectionis gradum acquirere posse, ut impeccabilis esset et in gratia proficere non posset ; hocque probari potest 1º ex Scriptura sacra, Philip. I, 9 : *Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu ; 2º ex Concil. Trid., sess. 6, c. 10 ; illud autem caput totum est*

de acceptæ justificationis incremento ; 3º ex usu Ecclesiæ, quæ dominica 12 post Pent. orando dicit : *Da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum.*

Hoc incrementum non fit extensive, quia minima charitas totum objectum sine ulla exceptione amplecti debet, sed intensive seu per majorem voluntatis adhesionem ; illud etiam semper comitatur major divinarum perfectionum intelligentia, quæ, operante gratia, multum ad ipsius charitatis augmentum confert.

Quodlibet peccatum mortale charitatis essentiam destruit, cum peccatum mortale et charitas in eodem subjecto simul existere non possint : peccatum vero veniale eam non destruit, sed minuit, non quidem intrinsece, verum extrinsece et indirekte, quomodo, ut aiunt, ligatura brachium ab opere retardat, licet totam vim intrinscam ipsi relinquit. Unde hoc peccatum animam reddens minus expeditam ad vincendas tentationes et ampliores gratias actuales ab ea elongans, paulatim ad destructionem charitatis habitualis ducit, peccatum mortale præparando.

Punctum secundum. —*De precepto charitatis erga Deum.*

1º Dari hujusmodi præceptum ab omnibus alijs præceptis distinctum ambigi non potest ; id enim probatur 1º Scriptura sacra, Matth. XXII, 38 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum.* 2º Ex S. Aug. qui, Conf. I. 1, cap. 5, ait : « Quid tibi » sum ipse, ut amari te jubeas a me, et nisi faciam iras- » caris mihi, et mineris ingentes miserias ? Parvane ipsa » est miseria, si non amem te ? » Eodem sensu loquuntur alii Patres. 3º Ex sequentibus prop. ab Alexandre VIII damnatis anno 1663 « Homo nullo unquam vitæ suæ tem- » pore tenetur elicere actus fidei, spei et charitatis, ex vi » præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. » An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel » tantum in vita eliceret ? Condemnare non audemus. »

4º *Ex ratione.* Cum enim Deus sumnum sit bonum, a quo omnia procedunt et ultimus finis noster, sola ratio dictat eum vere et propter se a mandum esse, nec sufficere ut ipsius mandata sine interna dilectione impleantur. Ergo.

2º *Conditiones illius amoris sunt:* ut sit internus, summus, efficax et purus. 1º *Internus,* ut patet; est enim actus voluntatis, *ex toto corde.* 2º *Summus appetitiva*, vide licet ut Deum præ cæteris rebus aestimemus, ut paratisimus omnia potius pati quam illum saltem graviter offendere; alioquin eum non diligemus *ex toto corde, in tota anima, in tota mente, ex tota fortitudine*, ut habetur in Deut. iv, 3, et talis est sensus verborum Christi apud Matt. x, 37: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Communius tamen docetur necessarium non esse ut ille amor sit *intensive* summus, id est, ut Deum vehementiori affectu diligamus quam patrem, matrem aliquamque libet creaturam, licet hoc valde sit optandum, et periculum sit ne majorem appetitionem transferamus ad creaturam quam ardenter dilectione prosequeremur. 3º *Efficax;* quia perfectus amor non tantum importat simplicem complacentiam in divinis perfectionibus, sed firmum animi propositum ea faciendi quæ Deus præcipit, et vitandi quæ prohibet, saltem sub gravi. Unde Christus, Joan. xiv, 15: *Si diligitis me, mandata mea servate;* et ipse B. Joaunes, I Epist. v, 3: *Hoc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* 4º *Purus,* id est ex motivo charitati proprio, seu ex ipsa Dei bonitate in se spectata: sic generaliter theologi, qui dicunt amorem concupiscentię, quo Deus ut nobis bonus amat, charitatem nunquam constituere posse, imo et Deum ita propter beatitudinem diligere, ut, si hoc deesset, Deus super omnia non diligetur, mortale esse peccatum habituale. Notandum est autem considerationem bonitatis Dei erga nos sæpe nos deducere posse ad considerationem hujus bonitatis in se spectatae, et sic ad charitatem perfectam nos præparare.

3º *Certum est* 1º charitatem habitualem necessariam

esse ad salutem necessitate medii, cum nemo salvari possit absque gratia sanctificante, quæ ab ipsa charitate habituali separari non potest. Thomistæ contendunt gratiam sanctificantem a charitate realiter esse distinctam; *Tourney* et alii plures volunt eas virtualiter tantum distinguiri: omnes autem conveniunt eas separari non posse. Nullum etiam est instans in quo Christianus charitatem habitualem habere non teneatur, quia nemo licite manere potest in statu peccati mortalis.

Certum est 2º præcepto charitatis actualis per solam mandatorum observantiam non satisfieri, sed actus positivos hujus virtutis saltem aliquando eliciendos esse, ut theologi generaliter docent, et ex momentis supra allatis evidenter sequitur.

Certum est 3º hoc præceptum obligare frequentius quam singulis quinquenniis, ut patet ex condemnatione sequentis prop. ab Innocentio XI, anno 1679: « *Probabile est in singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* »

4º *Communiter theologi docent* puerum tunc moraliter teneri actum elicere charitatis, quando, post adeptum plenum rationis usum, haec obligatio sufficienter ipsi proposita fuit, vel saltem quando Dei bonitatem et actuum relationem ad Deum sufficienter apprehendit. Item præceptum charitatis obligat in periculo mortis, quia eo instantे homo ad finem suum ultimum magis tendere debet. Insuper sæpe obligatio in decursu vita, sive per se, sive per accidens: charitas enim præcipua est virtus qua tendere possumus ad finem propter quem creati sumus. Verum quoties iterandi sunt actus charitatis ut præceptum impleatur, non sibi consentiunt theologi: quidam arbitrati sunt eos singulis diebus iterandos esse, quia Christus voluit ut Oratio Dominica quotidie recitaretur, et convenienter recitari non potest quin actus charitatis eliciatur, dicendo, v. g., *adveniat regnum tuum;* alii vero communissime hanc sententiam rejiciunt, ut pote fundamento destitutam; probari enim non potest Christum præcepisse ut Oratio Dominica quotidie recitaretur, nec